



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XVI. Quartum memoriæ miraculum est, nos ipsius Oblivionis  
meminisse, quomodo autem id fiat, censem inexplicable.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## N O T Æ.

Convictus suo argumento S. D. admittit species ,  
sive imagines affectuum in anima , quia absque  
illis non potest intelligi, quomodo possimus illo-  
rum meminisse, si neque in se, nec in sua imagi-  
ne præsentes sunt.

## C A P. XVI.

*Quartum memoria miraculum esse. nos ipsi-  
us Oblivionis meminisse, quomodo autem  
id fiat, censet inexplicabile.*

I. **Q** Vid, cum oblivionem nomino , at-  
que itidem agnosco , quod nomi-  
no, unde agnoscere, nisi meminisset ?  
Non eundem sonum nominis dico, sed rem  
quam significat. Quam si oblitus essem, quid  
ille valeret sonus , agnoscere utique non  
valerem. Ergo cum memoriam memini,  
per seipsam præsto est ipsa memoria : cum  
vero memini oblivionem, & memoria præ-  
sto est & oblivio ; memoria , qua memine-  
rim; oblivio,qua non meminerim. Sed quid  
est oblivio , nisi privatio memoriarum ? Quo-  
modo ergo adest, ut eam meminerim, quan-  
do cum adestr meminisse non possum ? At, si  
quod meminimus , memoria retinemus :  
oblivionem autem nisi meminisset, ne-  
quaquam possemus auditio isto nomine  
rein, quæ illo significatur sono, agnoscere :  
memoria retinetur oblivio. Adestr ergo , ne  
obliviscamur; quæ cum adestr, obliviousimur.  
An ex hoc intelligitur , non per seipsam in-  
esse memoriarum , cum eam meminimus , sed  
per imaginem suam ? Quia si per seipsam  
præsto

præsto esset oblivio, non ut meminisseinus,  
sed ut oblidisceremur, efficeret.

2. Et hoc quis tandem indagabit? Quis comprehendet, quomodo sit? Ego certe Domine labore hic, & labore in meipso: factus sum mihi terra difficultatis, & sudoris nimii. Neque enim nunc scrutamur plagas cæli, aut fiderum intervalla demetimur, vel terræ libramenta quærimus. Ego sum, qui memini, ego animus. Non ita mirum, si à me longe est, quicquid ego non sum. Quid autem propinquius meipso mihi? Et ecce memoriarum mearum vis non comprehenditur à me, cum ipsum me non dicam præter illam! Quid enim dicturus sum, quando mihi certum est meminisse me obliionem? An dicturus sum non esse in memoria mea, quod memini? An dicturus sum ad hoc inesse obliionem in memoria mea, ut non oblidiscar? Vtrumque absurdissimum est.

3. Quid illud tertium? Quo pacto dicam imaginem obliionis teneri in memoria mea, non ipsam obliionem, cum eam memini? Quo pacto & hoc dicam, quandoquidem cum imprimitur rei cuiusquam imago in memoria, prius necesse est, ut adfert res ipsa, unde illa imago possit imprimi? Sic enim Carthaginem memini, sic omnium locorum, quibus interfui, sic facies hominum, quos vidi, & cæterorum sensuum numerata, sic ipsius corporis salutem, sive dolorem. Cum præsto essent ista, cepit ab eis imagines memoria, quas intuerer præsentes: & retractarem animo, cum illa & absentia reminisceret. Si ergo per imaginem suam,

suam, non per seipsam in memoria tenetur  
oblivio, ipsa utique aderat, ut ejus imago  
caperetur. Cum autem adesset, quomodo  
imaginem suam in memoria conscribebat:  
quando id etiam, quod jam notatum inven-  
nit, præsentia sua delet oblivio? Et tamen  
quocunq; modo, licet sit modus iste incom-  
prehensibilis & inexplicabilis, etiam ipsam  
oblivionem meminisse me certus sum, qua  
id, quod meminerimus, obriuitur.

## N O T A E.

Oblivionis, ut est privatio, meminisse non possumus, quia non entis ut sic, nec imago esse po-  
test, nec conceptus, ut recte concludit S. D.  
In quantum vero recordamur actus memorati-  
vi, quem hic & nunc habere debuimus, aut vo-  
luimus, (ut cum quis meminit, sibi in concio-  
ne non occurrisse conceptum sententiaz, quain  
edidicerat) sic meminit oblivionis suæ per ima-  
ginem non ipsius oblivionis, sed actus obli-  
ti: quem dum concipiimus non adfuisse, quando de-  
bebat, hoc ipso oblivionem meminimus. Quæ  
etsi delect actum oppositum, non tollit tamen  
memorationem illius actus, qua meminimus  
illum non adfuisse, quia isti recordationi, non  
opponitur. Et sic videtur explicari posse memo-  
ria oblivionis.

## C A P. XVII.

*Etsi tanta sit memoria vis, tamen eam quo-  
que transcendam, ut inveniatur Deus,  
cum in brutis quoque memoria appa-  
reat.*

I. **M**agna ista vis est memoriae. Nescio  
quid horrendum Deus meus, pro-  
funda & infinita multiplicitas! & hoc ani-  
mus